

146 41

Vir summe Venerabilis, doctrina excellentissime ac Celeberrime,
Domine singulariter colende,

Siqua unquam epistola opus habuit, ut veniam praefaretur, mea habet, quae ab ignoto ignobilique homine mittitur ad Te meritis et munerum amplitudine et literarum decoribus clarissimum virum. Dudum tamen missa fuisset, auctore potissimum et impulsore Jac. Bruckero, Augusta Vindel. ornamento, qui WAS praedicans virtutes et inserviendi aliis promptitudinem, ad Te iussit preces meas applicari, ni ego partim cunctatione scribendi, partim verecundia aut mei diffidentia fuissem retardatus. Posthac eximia WA humanitas, quae affinis mei, M. Verpoortennii, res domesticas et curasti et expediisti, audacior me reddidit, aut, si mavis, impudentior, ut jam cupiam destinata dudum exsequi et TAM operam consiliumque orare ad institutum meum, de quo haec habeto.

Himerii Sophista, Saeculo IV. clarissimi, declamationes XXXVI. a veteribus Doctis, e variis codicibus descriptas, typis paratas habeo. Nosti, huius eloquentissimi rhetoris declamationes nullas esse hucdum editas, praeter fragmenta a Photio conservata, ut meus liber novitate facile commendari queat. Graecum textum emendavi, latinam translationem composui, annotationes copiosas adjeci, quibus partim graeca emendantur aut illustrantur, partim antiquitates et res graevae explanantur, maxime quod sophistica dicendi ratio et allegoriis impeditior videretur.

omnino desiderare interpretem. Quod quidem quo successu perfecerim, non meum est judicare; id tamen ausim asseverare, me nullis pepercisse aut sumptibus et laboribus aut curis et vigiliis, fecisseque quantum fuit in viribus, ut pro sua elegantia et dignitate exornaretur Himerius. Id vero non mei laboris, sed felicitatis duco, quod scriptorem proferre possum, prope ignoratum, dudum occultatum et profusum à venditorum. Cum integris declamationibus edere constitui etiam fragmenta Photii, eodem modo exornata. Premissi vitam scriptoris et praefationem, qua et meum institutum exposui et eos Vaticanos, Bodlejanos et Augustanos codices descripsi, e quibus Himerius depromatur. Univerfum opus, si mediocribus typis describatur, poterit tria aut quatuor Alphabeta complere: idque ita paratum est, et in mundio rem chartam curate descriptum, ut quotidie bibliopola ac typographo queat tradi.

Jam ea cura meum animum versat et vexat, unde conciliandus fit operi bibliopola in tanta graecarum literarum contemtionem, in tanta raritate eorum, qui graecum librum cupiant emere, in mea etiam obscuritate, cum non injuria diffidere debeant, an poterim librum edere eruditorum lectione dignum. In Germania quidem talis quaeri non debet, ubi vix reperiretur idoneus corrector, qui, editore absente, typorum emendationem procurare velit. Confugiendum igitur ad Vestros Batavos erit, inter quos humaniores litera florent, et qui graecos libros edere velint, reperiuntur.

Atque ad hoc negotium TVAM flagito operam, TVMq; auxilium, ut
 TE paravio et conciliatore, si fieri queat, obtineam tandem bibliopolam,
 qui honestis conditionibus meum opus sibi velit redemptum. A Wetstenio
 Amstelodamenfi, fateor, jam ante aliquot annos repullam tuli, itemq; a
 Luchtmanfio leidenfi, caufantibus, nescio, quas temporum difficultates;
 sed, si auctoritas TVA et comendatio interceferit, non dubito, quin aut
 Groeninganus aut alius batavus possit exorari. De conditionibus non dif-
 ficulter conveniemus, dummodo caveatur pacto, ut scriptor nitide et accu-
 rate et emendate exferibatur absq; sphalmatibus. In singulas plagulas
 postulabo quatuor florenos hollandicos, nisi aliud TVBI fuerit visum,
 et sedecim exscripta exempla. Poterimus quoq; id pacisci, ut dimidium
 pretium statim exsolvatur, simulac scriptum opus fuerit traditum,
 alterum dimidium, si opus fuerit exscriptum. Sed nulli conditioni acrius
 insistam, nisi eadem placuerit TVBI, cujus monitis et consiliis libentissi-
 me obtemperabo. Exposui jam, Vir celeberrime, optata mea et
 instituti rationem. TV, si id tanti ducis et si edendo illum scriptorem
 grecas literas juvari posse credis, exhibe mihi quaeso, quamvis ignoto,
 hanc gratiam et aliquantulum cogitationis operaeq; huic negotio
 impende. Molestum quidem officium est et laboriosum, quod abs TE
 rogo, honestum tamen et TVA persona TVBq; moribus dignum.

Quicquid studii in conciliando negotio collocaveris, id gratisimo animo
amplectar, et vicissim, si quo pacto mea qualicunq; opera uti volueris,
ad omne officii genus promptus paratusq; ero. Vale ex animi sententia
cum WIS omnibus et fave mihi

Dantisci
d. 29 Novemb.
1766

Venerabili W O nomini

addictissimo

Gottlieb Wernsdorfio,
Eloqu. Prof. et Societatis
Berolinenfis ac sen. sodali.